

HANSSON, SIGGONIUS, LAURENTIUS

Oratio de divini verbi sufficientiâ : (Åbo  
- G. Alanus 2 dec. 1655)

[1655]

# EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



## Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

## EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
  - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
  - *Sök:*\* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
  - *Klipp & klistra:*\* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- \*Ej tillgängligt i varje e-bok.

## Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>


## Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>  
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.

SIGGONIUS

*F. 1700*      *Lib. Punct.*  
*1700*      *Jan. 1700*  
*Lat. Pal. Bibl.*  
*(P. 1700)*





ORATIO

De

DIVINI VERBI

Sufficientiâ;

Quam

Ejussu Superiorum, in almâ &  
Illustri Regiâ Academiâ ad Auram Fennorum, Anni  
1655. 4. Nonas Decemb. in publicâ, eâq; hono-  
rificentissimâ Eruditorum ordinis cujusq;  
coronâ declamabat

Laurentius Siggonius O-Gothus.

S. mæ R. iæ M. tatis Stipendiarius.



A B O Æ

Excusa à PETRO Hanson Acad. Typogr.



*In laudib.  
Fide 1700  
Lubita! Alu  
(1711)*

*Reverendis, Clarissimis, Doctissimis; Humanissimis ac Venerabilibus*

VIRIS,

**Dn. M. Laurentio Wallerio, Pastori & Præposito in Högby vigilantissimo, nec non venerandi Consistorij Calmariensis Adessori perinsigni gravissimoq;**

**Dn. Haraldo P. Alzovio, in Alveda Pastori & Præposito perattento & assiduo, benefactori ac Evergetæ maximo.**

**Dn. Olao Forlosenio, Pastori in Förlösa optimè merito, diligentiq; sedulitate nulli secundo.**

**Dn. Danieli Cygnæo in Sandby Pastori fidelissimo, debito temper observantiæ cultu ætatèm suspiciendo.**

**Dn. Bernhardo Rosandro, Pastori in Nothbäck indefesso, meritissimo.**

**Dn. Samueli Lœvingio, Calmariensis Scholæ Cathedralis collegæ Supremo, perq; vigili & Sedulo.**

*Illis Mecænatibus & Patronis; Istis cognato & Affini; Huic Fautori; Omnibus quidem Patribus, Benefactoribus & Promotoribus jugi obsequio colendis; hanc Declamationem Academicã in grati & officiosi animi insigne*

*offert & inseribit*

**Author,**



Humanitatis Studiosis S.

*S*acri Codicis perfectissimam sufficientiam Salomon rex sapi-  
sentissimus, inter alia, hoc insigni Aphorismo Commendat, in-  
quiens: Omnis sermo Dei purgatissimus est; scutum est recipi-  
entibus se ad ipsum. Nè adjucito ad verba ejus, ut non corripiat  
te & efficiaris mendax. Quibus verbis egregiè commendat  
verbum Dei, quòd sit in se certum & infallibile, nihil erroris  
admixtum habeat, nihilq; contineat, quod à rectâ viâ ad salutem  
aternam ducente ac tendente seducat, sed praluceat nobis in-  
star facula cælestis, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. De-  
indè addit, quòd efficax sit ad depellendos omnes maligni hostis  
insultus gravissimos, cum sit scutum recipientibus se ad ipsum.  
Deniq; omni defectu carere verbu Dei, cum sit sufficiens ad salutē  
aternam consequendam. Ideò enim his verbis severè prohibet  
omnem ab hac doctrinâ alienam additionem. Nihil itaq;  
addendum est verbo Dei, nè corripiat nos, & mendaces efficiamur.  
Cum autem Literarum humaniorum virtutumq; cultus  
Ornatissimus Dn, LAURENTIUS SIGGONIUS  
O-Goth. S. R. M. tis alumnus perindustrius, de Verbi Divini  
sufficienciâ doctam scripserit orationem, eamq; hodiè horâ  
12, mâ publicè recitare decreverit, humanitatē studiosos para-  
manter rogatos volumus, ut dicto tempore adesse & eidē vacuas  
aures dare velint. P. P. a. d. 2. Decembr. 1653.

GEORGIUS ALANUS SS. Theol,  
Prof. Publ. & Prim. Ecclesiar. Urb.  
& attigæ Numensis Pastor,  
Reg. q; alumn. p. t. insp.



**Q**uanquam suarum haud indiligens  
partium mortalitas, (Auditor: svavis.)  
nunquam non omnis est in eo, ut, quæ aut  
nociva & pestifera, vitet; aut proficua & in  
salutem, prosequatur: si nihilo secius hunc  
ardorem cum gloriæ componas flagrantia; Cedere,  
inq; fumos ac auras evanescere inclarescet. Illuc, etiam si  
omnino reluctaretur, in vitam necessitas pertraheret;  
dum facies subiret animum periculi nec ceteroquin salus  
in proclivi foret: Huc verò sponte ruit suâ, & cupidita-  
tem in victam, frequenter equidem nitentem in vitium,  
nec ferrum, nec flamma, nec unda restingvit. Fibris  
namq; omnibus inibitum arrogantia malum & admis-  
sum in venas contagium pravitatis, quemadmodum vix  
cessat; Sic opinionum vento inflatum acrius furit tem-  
pore atq; auctibus indomitum nequicquam patitur me-  
dicinâ. Ritu magnorû grassatur fluminû hoc morbi; Quæ  
modicis scaturientia fontib; nõ suas modò, sed & alienas  
lapsu aquas vehunt, donec in stagna & maria excrecant.  
Minimè verò affectus hic vitio est, ubi per fas & licita in-  
cedit; Nec, ut limo præcipites fluctus in alveum, sic iste  
vitiolorum sedimento conturbatur. Etenim igniculos  
Divinitatis ab origine insertos omnes circumferunt, ex-  
celsi animi fomenta, stimulos honestorum; Quibus ag-  
gesto agendorum ordine, feliciter se explicant & mune-  
ra in juncta strenuè obeunt. Verum hæc frustra in sumo  
verba rebus narrandis; Quæ, quando propalàm sunt, cor-  
rigendo felicius, ac differendo, pro eo, ac dignæ sunt, ex-  
orna-

ornarentur. Non nostræ quippe tenuitatis est, Audire, tantos sedare motus & decumanos fluctus objectâ carinâ excipere; Cum viribus ambigua etiam stationis demandatâ defensio & commissâ spartæ sit. Nil reliqui est idcirco, nisi dolere, tantam vim mentis mortalium ineptis atq; frivolis, non utilibus & gravibus incumbere; Atq; ubi offerretur triumphus, spectare tamen, quàm curru vehi sublimem, præoptare. Experiuntur vulgò in caducâ rerum humanarum vanitate, ingenia; Quibus desinentibus, experientiam sepelit oblivio; Cum rerum durabilitas ac consistentia memoriâ subindè refricet laborum. Improbo & temerario ausu Divina spernunt, pl<sup>ur</sup> spei frugiferæ allatura tractantibus, atq; messis fœcunda agricolis, navigantibus Oriônis sydus, aut solium honoris arrogantibus. Sat ampla gloriæ seges in sacris est, si metere esset animus; aut frugibus, quàm glandibus vesci mallent. Sectantur indefinenter oculis exposita; In quibus hærentes transmittunt abscondita; Malè secum agi credentes, quòd ludibrijs renuncient oculorum. Quamobrem, quia ex more aliquid fuit & mihi tentandum; rem, non aliter intuitu jucundam, ac tractatu commodam, usu salutarem, dictioni secreveram. Dicendum namq; est de verbi divini sufficientiâ, quâ viam æternæ beatitudinis; Et gravissimè errare Romani Pontificis complices, terræ filios & vasa perditionis ac ignominia, dum doctrinam cœlitus demissam enervant, accusant, profanant, ostendendum. Quod facturo nihil antehaberi convenit, quàm ad Vestrâ (Auditor. Exoptatis.) confugere benevolentiam; Ut, dū rudi penicillo hanc materiam adumbravero, vester mihi adsit favor; titubantē & labētē erigat, hærentē confirmet, & placidâ tandē audientiâ dignetur.

Cælestium Oraculorum, quæ Prophetarum ac A-

postolorum scitis, decretis legis ac Evangelij, novo ac antiquo fadere promulgatis, continentur, non ultimum hoc est praconium; Quod sufficientiam suppedient omnium, notitiae omniregnantis viaeque; servationis ac salutis & perpetuae gloriae conducentium. Quae quidem ratione, non amplius modo venerationis ac diligentiae sibi poscunt, ac aliud ullum nocturno diurnoque; pervigilio corrasum, calculoque; eruditorum jam publicae favoris aurae donatum opus; Verum, hoc praeterea pollicentur operae pretium fideliter collocatae, ut emolumento ac mercede aucto vitae aeternantis atque caelestis gratiae, discedere gnave tractant liceat. Equidem non opiniones & fluxas rerum imagines, momento evanidas, sistunt oculis; Non priscas incertorum temporum fabulas, Poetarum carminibus inclytas; non conjecturas, non visa Scepticorum; aut Casus fortuitos Epicuri sectantur; Sed sempiternam veritatem, caelitibus demissam, gratiose inspiratam, splendentem instar solis, proponunt. Et verò, qui aliter fieri potuit, quin verum à verissimo, sufficiens à sufficientissimo, perfectissimum à perfecto, à fulgentissimo perspicuum, actuosum ab omnipotentem prodiret? Nec enim operum, quae patravit, testem mendacem pati qui vit mendacij nescius; nec gloriae suae historiam lacunosam aut plenam defectibus reliquit gloriosissimus Deum omnipotentem T. O. M. loquor; qui nihil non suae facturae expolivit; & vel potissimum hos suorum facinorum annales; ut nec momus in re, nec Aristarchus in verbis, quod virgulae notent, habeant: Adeo si quisquam esset Deus alius (quod cogitare impium, perniciosum credere) vix tamen, ac ne vix quidem ad suum tribunal delatam divinitus hanc conceptam consignatamque; scripturam imperfectionis, *avisogorias*, garrulitatis arguere posset. Horret animus Romanum Pontificem, suis

cum ad seclis etiam Deorum jura violantem. Quid omnino esse dicemus, in Divinis se censorem gerere? Quid esse dicemus, omnipotentis opera deludere, profcindere cavillis? Quid verò dicemus esse, censoriam adhibere manum & sanctis Dei mandatis humani ingenij figmenta miscere? Deum esse oportet, qui Deos judicabit: Deo majorem, qui opera Divinitatis censebit: Dei autem Divinorumq; omnium esse everlorem necesse est, qui deludet, cavillabitur, profcindet. Proh Deum atq; hominum fidem! Quæ vertigo, quæ dementia hos Deo mastigas cepit? Si aliquid fabulæ occultant veri: hos censuerim designari Gigantes, qui in æthera tendentes fulminibus dejecti sunt. Hæc est Pellex Babylonis; Cusus amatorio poculo totus ferè orbis inebriatus est; nec redibit ad sanitatem, nisi cum universum interitus obruet, & compositas in soporem amatorum aures Angelicæ strepitus tubæ personabit. Sed expergiscuntur videlicet, cum in verbum divinum Theoninos dentes acuunt, sermone profanant, convitijs dilacerat, & benigno matris hæc sordidâ nutricû facè superfundunt. Traditionum centones & antiquarias Patrum glossas adorant: etiam his freti audent sanctissimis obrogare constitutionibus & caelesti statuto intercedere. Ignorant nimirum, quantus sit Deus suorum dogmatum Author, omnium factor & creator; & sacrarum qui literarum fructus, non equidem assequuntur. Si itaque coelestia dogmata ab æterno fonte manant & erumpunt, ut erumpunt omnino; æterno authori acceptum ferunt, quod sunt; utquæ est ille Deus, Numen, moderator omnium; ita nequæ alia, quàm Divina esse queunt.

Divina autem quæ censerentur, ni carerent errore? ni perfecta essent? Idcirco, qui agnoscunt Divina, ut per-

fecta & labe vacua venerari necesse est. Est namq; ea  
Divinorum certitudo & autoritas, ut nihil habeant  
non verum, nil non elaboratum examusim, nil non  
detersum repurgatumq; ; nè, cum indies sollicitius sua-  
rum satagat rerum curiosa fragilitas, esse non tamen  
queant omnium mensura cæterorum. Non erat sanè  
nisi elimatum à Deo expectandum numerisq; suis ab-  
solutum omnibus: ut hinc quoq; in conspectum eorum  
impudentia producat, qui divina & æterna insuffici-  
entiæ arguunt. Quocircà Scripturas religiosas quâ  
fronte non perfectas asseremus? Ab authore illo nihil  
non bonum & absolutum est; adstipulante quinetiam  
Apostolo: Donum quodvis bonum & perfectum de-  
supèr venit à Patre luminum: minimè ergò veram &  
perfectam esse Sacram Scripturam ambigendum, in quâ  
gloriam suæ omnipotentis & misericordiæ generi hu-  
mano communicavit. Quid deniq; laureolam, quod di-  
ei solet, in mustaceo quærimus? testem de scripturis  
authorè ipsū laudemus. Maledictionis ferit fulmine addē-  
tes aut auferētes: itaq; , cui nihil apponi nihil demi conve-  
nit, perfectum sit ac sufficiens oportet. Proh. Deum! sic  
iniquè Dei verbum traduentes, haud tamen intelligunt  
in se eisdem vibrari ignes. O tempora! O mores! De-  
munt dubio procul certitudinem, nè persuadeātur se esse  
maledictos. Acumen masculè exercent, quo Deo ful-  
minatricem excutiant dextram, op̄ionibus debellare  
agressi. Sed, quem meriti, veniant in ignem. Ignari  
sunt quippe oraculorum, indubitata vocem dē Sanctâ  
illâ paginâ pronunciantium, esse perfectam, absolutam,  
sufficientem. Paulum audiant; Non refugi, inquit, quin  
annunciarem omne consilium Dei vobis: Alio item  
testimonio: Omnis scriptura Divinitus inspirata utilis  
est

est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum ad erudiendum in iustitiâ, ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus instructus. Cum itaq; omne consilium Dei annunciatum sit scripturis, homoq; inde perfectus ad omne bonum opus evadat; Impius esset, qui Scripturas adfirmaret laborare defectibus; Profanus, qui adfueret figmenta. At, quid opus est verbis? Quantum notitiæ creatoris, quantum voluntatis ejus, quantum salutis, quantum Christi ejusdem fontis; quantum cognitioni fidei, spei, charitatis requiri visum est, tanquam in fascem sacræ literæ habent colligatum. Mitto in compendium; quidquid mandavit Deus, quidquid voluit, in sacrum codicem sparfit. Adsint nunc expurgatis auribus impostores illi, fumo distenti; edoceantur, si sana pati consilia poterunt, volumen sacrum eorum respuere Criticam, cum Deum ipsum, statorem omnium, habeat editorem. Frustrâ in cinnos & cirros verba torquent, quæ coelestis sevit veritas, Frustrâ desiderabunt artem in artium normâ & cynosurâ. Perperâm affingent suam barbariem puritati divinæ. Sed fortè omnia non scripta sunt, quæ designavit salvator, non memoria prodita posteritatis, quæ cuncta docuerunt Apostoli. Esto! Confitentem habent Johannem, non quæ omnipotenti dextrâ effecit Christus miracula, annotata esse universa; quibus nec tabulæ, nec charta, nec atramentum comprehendendis sufficerent. Verum, dum hæc proferunt delicatissimi ventres; non magis scripturam (loquar cum Lutero) quàm tipula aquam, attingunt. Subijcit sanctissimus ille præfatus Apostolus dictis superioribus hanc clausulam; Hæc, inquit, scripta sunt, ut credamus, quia Jesus est Christus, utquè credentes vitam habeamus in nomine ejus. En! sufficere Scripturas ait agni-

agnitioni mediatoris & pararij æterni, easque sufficiens  
esse medium comparandæ fidei; suppeditare cognitio-  
nem vitæ salutiferæ & sempiternæ. Quid igitur no-  
dum in scirpo quærimus? contemptu profligari possent.  
Equidem ventis & fumo turgentia monstra levissimo  
quilibet spiritu difflaverit. Capessunt fugam: atqui ob-  
ijciunt fossillas; quas superare saltu est facilimum. Non,  
non sanè providi in fugam & salutem fuerant, dùm hosti  
non ademerunt insectandi facultatem. Obstrepunt;  
ex parte & quasi in speculo cognosci Divina ab homi-  
nibus. Egregij iudices! Verilitatem instrumento ad-  
scribunt, non suæ incitiæ. Nesciunt pleriquè virtutes  
cœlorum, ignorant Deum esse numen cœlicum, nesci-  
unt creaturarum dotes: Ergo hæc imperfecta, invali-  
da, insufficientia, aut nulla proclamanda? Stoliditatem  
Stoliditatum! hoc stolidiorem, quod stoliditatis suæ sen-  
sum perdiderat.

Atqui, nec graviorem vel criminum ream sacram  
arcessant paginam. Objectant obscura, ambigua, tor-  
ta sensu, *ὄσπερ ἀπόρρητα*, claudicantia orationum mem-  
bra; quæquæ cætera citra horrorem nominari nequeunt,  
Traditionum quippe monstra effingentibus sanè hoc  
quoquæ recti diverticulum est, de obscurorum sensu op-  
timè judicare Ecclesiam, Cynosuram consuetudinis  
antiquæ & traditionis inveteratæ sequentem. Nusquam  
deinde totidem verbis inveniri dictum; hoc obscurum  
est, illud perspicuum: Dicta hoc sensu aut alio interpre-  
tanda. Verum enim verò, totum hoc anile agmen vel  
unus spiritus difflaverit. Obscura, ambigua sunt rebus  
tractandis illotas mentes adferentibus. Vicio fit homi-  
num, quod torqueatur sensus: absque scrupulosa fuisset  
indagine, planum & ubi vis obvium haberemus, Claudi-  
cantem

cantem membrorū incessum nec ipsi sanè intelligūt; siq̄;  
 insolita sunt, tantum præstare vulgaribus existimarent,  
 quantum insolentiæ habuerint. At Ecclesiam judicem  
 faciunt; quam utinam cætum hominum, non portentum  
 facerent? Utinam in mundo, non in Utopiâ statuerent.  
 Certum est equidem ex hominibus conflatâ esse Ecclesiâ,  
 quibus facilis in iudicando lapsus, facilis error est. Quini,  
 mō incongrua loquantur. Scripturam ajunt obscuram  
 flexilemq̄; in varias facies. Cum v. interpretationem ac  
 intellectum relinquunt ecclesiæ, clarâ utiq̄; arguunt. Re-  
 trō; Si ecclesiam in societate hominum, ut v. est, relin-  
 quunt; Hominum a. ingenia aciemq̄; obscuritas sapius  
 eludit; nulla erit tam felix ecclesia, quæ omni ex parte ju-  
 dicium de scripturâ ferat incorruptum. Sacras proindē  
 literas certas, perfectas, claras, O Auditores! existime-  
 mus. Sunt ab Authore Deo, cui nihil suâ voluntate factū  
 defectibus est obnoxium, Operum miræ sunt effectrices:  
 Penetrantiores equidē omni gladio ancipiti; Animi cor-  
 porisq̄; nexum intervenientes; vivificæ: Solaminis refer-  
 tissimæ: Eternæ beatitudinis vades, Quid horum non absolutum, non divinum  
 est? Impias in creatorem spargere voces an carebit culpâ, periculo? quid est  
 deniq̄; tam abstrusum, tam reconditum, quod non ut è divite penu, vel cornu  
 copix, è sacris sic promi, sic desumi queat? Habeamus quocircâ repositum as-  
 nimis, scrutandas scripturas fiducia & spe sempiternæ salutis; in pretio & vene-  
 ratione ponendas, quia normam omnis continent instituti. Ad eas gressus  
 dirige nostros lapsantes & instabiles, tu scripturæ stator æterne!

CUI LAUS, HONOR ET CULTUS IN OMNIA SECV  
 LORVM PUNCTA,  
 D I X I.

Ad  
*Præstantissimum eruditione simul atq̄; vitâ,*  
 Dn. LAURENTIUM SIGGONIUM,  
 amicū meū dilectū.

**S**cripturam reverentèr habe quicunq̄; sacratam.  
*Eligis in studijs Biblia sancta tuis.*

Nobi

*novus aspectu folioꝝ, virens Rhododaphne,*

*Dicitur agrotis esse medela viris:*

*Bruta tamen folijs animata extingvit eisdem:*

*Hac sunt scriptura non aliena sacra;*

*Sufficit illa pios cœli deducere in arcem,*

*Et nigrum reprobis addere virus ea.*

L. M. q;

ENEVALDVVS SVEN. Gyldenh. Al. Eloq. P.P.

**O** Ceani indomitos fluctus quot vela fatigant:

Squamigeriq̃ greges æquora vasta secant.

Pennigeræ volucres liquidum quotve æthera findunt;

Munera, SIGGONI, tot tua Musa subit.

Differis excelso Mysteria Sancta cothurno,

Et condis dulci sacra tremenda favo.

Est ferè ut è svadâ procedas pancratiastæ

Ornatu; repetens pulpita docta gradu.

Apprecor his ausis Zephyros sine fine secundos;

Vive diu felix fata secute pia.

Amico suo integerrimo ac fratri jucundissimo  
gratulabundus accinebat

Josephus Forlofenius Calm. Smol.

**L** Audem SIGGONI cumulas, præceptor amande.

Insisitas captis, properesq̃, attingere metam.

Conatus voveo DEUS hos successibus ornet.

Hisq̃ faveto Deus! *Hic* vive diuq̃ vale!

Charit. suo præceptoris L. m. q; apposuit.

Iohannes I. Matthesius Bothniensis.

**E** Gregium captas nomen, Præceptor amande.


Adsisitat captis summus Jova tuis.

Observantia E. Præceptoris suo apposuit.

Josephus J. Matthesius Bothniensis.

•§§)o(§§•





[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)